

T O M V S T E R =

TIVS CONVIVALIVM SER-

MONVM, AVTORE IOANNE

Gastio Brisacensi.

Idolum loqui. Mosc. 77.



Nouuogardenses olim idolum quoddam,
nomine Perun, eo loci quo nunc est mo-
nasteriū collocatum, in primis colebāt,
uenerabanturq;. Dein baptisate assum-
pto, id loco motum, cum in flumen deiecissent, aduer-
so dicitur fluuio nataſſe: & circa pontem auditam fu-
iſſe uocem: Hæc uobis Nouuogardenses in mei memo-
riam. ſimulq; cum dicto, ſuſtem quendam in pontem
proiectum fuiſſe. Solet etiamnum contingere, ut cer-
tis anni diebus hæc uox Perun audiatur: qua audita,
ſubito eius loci ciues concurrunt, ſeq; ſuſtibus mutuò
cædunt. Tantaſq; inde tumultus quoque oboritur, ut
uix magno præſecti labore, ſedari poſſit.

Additio.

Eundem morem ſeruarunt olim, mea adhuc æta-
te, Baſilienſes pueri in diebus Bacchanalibus. Magna
enim adoleſcentulorum turba Dominica quadrage-
ſimæ ſub ueſperam cum facibus ardentibus conflue-
bat ad turrim in monte poſitam, iuxta portam lapi-
deam, ſic uocatam (in eo ſuburbio maior pars textor-
rū habitat) que nominatur ſpecula regionis propter

altitudinem. Nam prospicitur ex ea ferè tota Sunga-
uia, & omnes agri circa montes positi cum pratis a-
mœnissimis oculis clarè subiiciuntur. Mutuis dico a-
dolescentes uerberibus contendebant facibus ad san-
guinem usq; : & sæpe multum damni sibiipsis intule-
runt, adeo ut senatus coactus sit institutum illud uetus
abrogare, etsi uix adhuc hodie uetus mos semel susce-
ptus derelinquatur. Et quotannis lictores publici mit-
tuntur eò loci, ne confluant adolescentes summã ope-
ram adhibentes: abigunt eos etiam baculis qui accur-
runt, si minis nihil proficiunt. Vnde autem mos iste
ad nos uenerit, incertum est. Putant quidam Baccha-
nalia festa fuisse eo in loco à ueteribus celebrata, quia
editus est locus, & ignem accendisse, qui à uicinis re-
gionibus clarissimè conspici potuit, quemadmodum
adhuc hodie rusticorum turba passim ea nocte cõgre-
gatur in pagis circumiacentibus, quæ montana cum
facibus ardentibus ascendunt, ac collectum lignorum
aceruum accendunt, ac durant apud ignem ferè dimi-
diam horam: dein domum redeunt, Io canentes, ob li-
gna tam lucidè splendentia. Insuper etiam totam no-
ctē potãdo absument. Turris illa altissima anno 1550.
destrueta est, & mutata in fortissimum propugnacu-
lum contra insultum hostium.

Torturæ genus. Mosc. 52.

Iustitiam strenuè Mosci exercent in prædones, qui
bus comprehensis, calcanea primum frangere, dein